



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Censvra Sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis, In
Librum cui titulus est: La Défense de l'authorité de N. S.
P. le Pape, ..., contre les erreurs de ce temps, Par Iacques
De Vernant, à Mets, 1658**

Université <Paris> / Faculté de Théologie

Parisiis, 1665

Prima Haeresis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14744

cludit, sicut Rector Parisiensis Academiæ facit, ex quo fit, ut tot sint partialiter definientes in Concilio, quot deliberationes in eodem habent; partialiter autem definire & absolutè definire, &c.

Ex tractatu, quem Petrus de Alliaco, tunc Navarrici Collegij Magister, edidit nomine Theologica Facultatis cum alijs deputatis ejusdem Facultatis adversus Joannem Montesonum.

Tertiò dicendum est, quod illud quod dictus Frater ad suæ appellationis fundamentum principaliter assumit, scilicet, quòd solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare & reprobare. Et iterùm, quod eorum, quæ tangunt fidem, ad solum Summum Pontificem pertinet examinatio & decisio. Hoc, inquam, continet manifestam hæresim, & est dictum sibi ipsi repugnans & contrarium: & idèd propter hoc solum, si nihil aliud erroneum dixisset, Romana Ecclesia ipsum debet cogere ad revocandum.

1. *Ratio.* Et istud declaratur 1. Supponendo quid sit Sedes Apostolica: Nam ipsa vel est universalis Ecclesia, vel aliquod generale Concilium universalem Ecclesiam repræsentans, vel particularis Ecclesia Romana, in quâ scilicet Ecclesiâ sedet, id est, cui præsidet Summus Pontifex, & idèd ipse & Sedes Apostolica non sunt idem, sicut non sunt idem Sedes & Sedens. Ex quibus clarè patet, si ad solam Sedem Apostolicam pertinet circâ fidem declarare vel reprobare, quòd ad solum Summum Pontificem hoc non pertinet, & econtrâ si ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ sunt fidei, examinatio, & decisio, hoc ad solam Sedem Apostolicam non pertinet, quod in illo dicto est manifesta repugnantia.

2. *Ratio.* Item hoc tertium dictum manifestè repugnat primo dicto, ubi asserit, quòd Stephanus Episcopus Parisiensis & Facultas Theologiæ approbaverunt doctrinam Sancti Thomæ. Ex quo sequitur, quòd nec ad solam Sedem Apostolicam, nec ad solum Summum Pontificem pertinet, eorum quæ sunt fidei, declaratio, decisio, vel approbatio.

3. *Ratio.* Item secunda pars illius dicti, scilicet, quod ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio & decisio, continet manifestam hæresim, imò multas hæreses.

PRIMA HÆRESIS.

Primò, quia per illam Exclusionem excluditur universalis Ecclesia, & generale Concilium eam repræsentans, quod est hæreticum, quia in causis fidei à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium, sicut patet 19. Dist. cap. Anastasius: & manifestum est, quod ad ipsum pertinet Concilium in causis fidei definire, sicut patet ex autoritate Gregorij 15. Dist. cap. Sicut.

SECUNDA HÆRESIS.

Secundò, per illud excluditur Sedes Apostolica, ut dictum est, quod est contrâ ipsum, & est manifestè hæreticum.

E